

B. M. H. 367a
h. 7i, 19.

(H 188 0467)

II R
3810

I. N. J.
JUS TALIONIS,

DISPUTATIONE ACADEMICA
expositum,

&

PRÆSIDE

M. ADAMO Rechenberg /

S.S. Th. Baccal.

& Facult. Philosoph. Assess.

H. L. Q. C.

P. P.

ab

AUGUSTO Siegel / Jur. Cult.

A. & R.

ÆR. CHR. M. DC. LXXIII.

D. V. Jul.

LIPSIÆ,

Typis Viduæ JOHANN. WITTIGAU.



1874
14



1231.

Handwritten mark or symbol at the top of the right page.




ús
pa
Q
co
tri
m
re
ex

co
q
t

J
p
ac
p





I. N. J.

Vix brevius, ac elegans æqvè Juris compendium; quis exhibeat, quàm Christus commendavit mortalibus, Matth. cap. VII. 12. *Quaecunqve igitur voveritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* Hoc, Imperator *Alexander Severus*, non solum sapiens in ore habuisse fertur; sed, ut ejus pretium constaret, etiam in palatio & publicis operibus præscribi curasse. Nec immeritò; Quippe juris, aliàs vastis voluminibus inclusi, summam ac normam complectitur illud, quâ neminem esse lædendum & cuiq; suum tribuendum, noscitur. Atqve ut inde omne jus, sic *Talionis* vel maximè derivari potest. In quo explicando, in præsens dum vires meas qualescunqve experiri paro, DEUM Ter. O. M. oro atqve exoro, ut feliciter eveniat!

APHORISM. I.

Jus Talionis licitæ, non consistit in æqualitate Pythagoricâ seu *ταυτοπαθεια*, quæ nullius quantitatis aut qualitatis in compensatione rationem habet.

§. I.

Juris vocabulum valdè est ambiguum. Plerasqve tamen ejus significationes congeffit *Hahnus*, in *Observ. ad VVesenbec. tit. de J. & J.n. XIV.* *Antonius de Escobar* in *Theolog. Moral. Lib. III. Exam. prim. c. 1. q. 1.* ferè cum *H. Grotio* (*Lib. 1. c. 1. §. 3. 4. & 9.*) tres *Juris* acceptiones non infrequentes proponit. Nempe jus accipi ait, primò pro justo ac æqvo; secundò pro Lege; tertio pro facultate ad

A 2

aliquid



1233.
aliquid, quo pacto quis dicitur, *uti jure suo*. Nobis heic in *primâ* significatione accipitur, quâ actio aliqua judicatur legi, ut normæ justitiæ, convenire. Sed dum *Talio* adjicitur, simul exprimitur respectus, qui in actibus, per quos aliquis, quid ab altero vel exigere, vel pati, vel recipere potest & debet, habetur.

§. 2.

Talionem D. Hahnus ad Wefenb. tit. de J. & J. n. XIII. distinguit in *simplicem* seu *nudam*, & *proportionatam* seu *proportionalem*. Illam describit, *cum quis idem numero sive specie recipit (simpliciter & absolute,) quod facit aut dat alteri. Hac cum redditur idem genere, hoc est, non quod simpliciter, sed ratione estimationis tale est. Quod duplici modo fieri posse docet: (1. quando id non est planè idem cum illo, quod delinquens alteri fecit, ut si fur pendat quadruplum, qui convitium dicit, solvat pœnam pecuniariam, parti vel fisco &c. (2. quando planè idem redditur delinquenti, quod alteri fecit: Ut quando in pœna homicidii redditur anima pro animâ, quod vita hominis, quam quis peremit, æstimetur ad vitam occisoris.*

§. 3.

Tritum ac vulgatum est in Scholis Philosophorum, Pythagoreos primam *Talionis* acceptionem urfisse, quâ si quis idem patitur, quod alteri intulit, jus censetur. Inde Aristot. Lib. V. Eth. c. 8. illos reprehendit Rhadamanti versum, quo jus dictum exprimebatur, adducens:

εἴνεκα τοῖσι τὰ κ' ἔργεζε, δίκην δ' ἰδέσθαι γένοιτο.

Si contra passus fuerit, quod fecerit idem;

Judicium planè rectum, vindicta quæ fiet.

Vel ut Theleus, Rhadamanti forum in Senecæ Hercule Furente, Act. III. describit:

Quod quisque fecit patitur: Autorem scelus

Repetit, suoque premitur exemplo nocens.

An jure, injuriave, hoc Pythagoreis tribuat Philosophus, nos heic non anquirimus. Facti quæstio est, quam decidere sine certis documentis, ex Pythagorâ desumptis, temerarium foret.

§. 4.

Interim sententia, prout Pythagoreis impingitur, non absurda modò

1238

modò, sed planè falsa est. Id Philosophus loc. cit. exemplo in me-
dium allato ostendit. Si Magistratum quis gerens, (inquit,) percus-
serit, reperiendus non est. Si autem Magistratum gerentem quis
percusserit, non solum est percutiendus, sed supplicio insuper afficiendus.
Et Lib. I. Magnor. Moral. c. 34. in eundem ferè sensum differit. Est
verò etiam Talio jus, inquit, non tamen ut ajebant Pythagorici: rati
namq; illi sunt justum esse, ubi quæ quis effecisset, eadem essent Talionis
vice ferenda, quod erga omnes non est idem. Neq; enim justum, eadem
servo adversus ingenuum fieri: Quandoquidem si servus ingenuum
ceciderit; justum non sit, ex alterâ parte tantum cædi, sed impensius:
Nam & ipsa talio jus est proportione constans. Nam quemadmodum
ingenuus adversus servum se habet eò longè præstantior; eadem ratione
rependendum est, quòd ipse fecerit prior, itidem etiam ingenuo adversus
ingenuum erit: Nec enim justum est, ut qui oculum eruerit, ei tantum
talionis poena infligatur, sed multò plura ferat, proportionis consecutione:
Quandoquidem & cœpit prior & affecit injuriâ. Atque utraq; inju-
ria illata injuria est: & proinde proportionale est, ut ob injurias etiam
plura ferat, quàm fecerit: Idq; justis exigat ratio. Nos in sequenti
Aphorismo adhuc plura commentabimur, unde distinctè illa Juris
Pythagorici absurditas pariter & falsitas queat cognosci.

APHORISM. II.

Scilicet repugnat Jus Talionis simplicis, Py-
thagoricâ æqualitate definitum, Justitiæ Dis-
tributivæ & Commutativæ.

§. 1.

Justitiam particularem, in duas allatas quasi species describi, in-
vulgus notum est ex Aristot. l. V. Eth. c. 5. Grotius L. I. c. 1. §. 8. alio pau-
lò sensu commutativam, expletricem, distributivâ verò attributricem
appellat. Sed præter meritum heic Aristotelem à Grotio deferri aut
censeri Dn. Oslander in Annotat. ad loc. cit. & Dn. Pufendorfius de J. N. &
G. Lib. I. c. VII. §. 9. 10. seqq. docent. Alii vindicativam Justitiam ut
novam speciem, addunt, quæ delicta debitâ poenâ emendet. Ast non
video, cur non pari modò, si illa statuatur, debeat admitti alia spe-
cies

A 3

cies, Remunerativa scil. præmiorum collatrix. Sed nostrum non est tantas hæc lites componere. Liceat interim retinere longo usu comprobata[m] divisionem, & juxta illam Jus Talionis expendere.

§. 2.

De Commutativa, (quam Aristoteles jus διορθωτικόν appellat,) oppidò clarum est, illi haut congruere Talionem simplicem. Aut enim illa dirigit Contractus voluntarios, (ut sunt emtio venditio & similes); Aut corrigit Contractus, quos invitos appellat Philosophus Lib. V. Eth. c. 5. ut sunt adulterium, furtum, calumnia & alia crimina. In neutro actu, æqualitas Pythagorea locum invenire potest. Non in Contractibus voluntariis, quia moraliter impossibile. Fieri enim in Civitate assolet, ut homines diversarum operarum, & artium & facultatum contrahant. Titius qui domum non habet, emit domum à Cajò; huic si reddere domum pro domo debet, emere prohibebitur: Vel agricola emit à pharmacopola medicamentum. Tale sanè reddere ipse Pharmacopola nec potest: nec fors hic acciperet. Confer Aristot. egregiè in hanc rem differentem L. V. Eth. c. 8. Nec (quod sciam) Leges de Talione latae, in Commutatione requirunt pretium idem specie. Potius igitur ostendendù fuerit, in Contractibus involuntariis sive delictis, ubi irrogatio pœnarum occurrit, Talionem Pythagoricam non habere usum, aut locum. Sed antequam id agam, assumo hypothesis eorum, qui statuunt, pœnas, quæ delictis debentur, pertinere ad justitiam Commutativam, quæ propterea in directivam & Correctivam solet subdividi. Quo facto in promptu est judicare, an Talio huc quadret.

§. 3.

In delictis, quæ justitia διορθωτικὴ corrigit; circumstantiarum qualitas accuratè consideranda venit, ut deindè rectè æstimatis circumstantiis, adhibitâ proportione, pœna queat infligi reo, quæ nec gravis nimis aut justo levior sit. Cautè distingvendum, an per imprudentiam; an per malitiam; an casu & perturbatione animi; an verò datâ operâ & ignorantia superabili quid factum, aut patratum sit. Etenim differunt in morali doctrina Ἀδίκημα, ἀτύχημα & ἀμαρτημα. Primum est læsio sive injuria, quæ spontè fit: alterum est



1236

est læsio fortuita, sive humanæ provisioni exempta: ut si ad scopum jaculans, vulneret hominem subito intercurrentem: *Tertium* est erratum, cum læsio quidem non est plenè fortuita, fit tamen absque animo lædendi, ut si quis aliquem vulneret, animo non vulnerandi, sed Jocandi, vid. nostri Dn. J. Thomasi Philosoph. Pract. Tab. XXVI. & Aristot. L. V. Eth. c. 10. in medio. Jam verò si *Talio* Pythagorea promiscuè adhibenda foret, delicta allata æqualiter erunt punienda, non consideratâ diversâ circumstantiarum ratione, quo ex æsse pœnæ delictis sic respondeant. Quod falsum non modò, sed & impossibile est. Quò enim modò quis adulterium, crimen falsi, calumniam, plagium, stellionatum & similia per *Talionem* puniat? Peccata sanè peccatis punire, esset injustitiam adaugere. Quod nullus cui sanum sinciput, asseret. Hinc & leges, quæ *Talionem* Pythagoricam videntur lancire, eam duntaxat accommodare ad injurias, sive læsiones corpori illatas solent. vide *Puffendorfi Lib. VIII. c. 3. §. 27. d. J. N. & G.*

§. 4.

Sed esto crimen, quod pœnæ vice possit fungi, ut si quis alterum percusserit: Non tamen *retaliatio simplex* commodè adhiberi poterit. Quia vel *qualitas Personæ* vel *ratio temporis & Reip.* vel *locus* delictum elevare aut aggravare potest. Exempli causa, si quis *Magistratum* publicum percusserit, majore certè pœnâ, quàm re percussione dignus censetur *Aristoteli Lib. V. Eth. c. 8.* Vel si aliquis potentior, tempore, quò status Reip. turbulentus, delinquat per *talionem simplicem* usurpatam, si puniatur, Reip. haut dubiè noceretur. Habet enim dicitur *Cassio ap. Tacit. Lib. XIV. Annal. cap. 44.* aliquid ex iniquò, omnino rem magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ reperienditur. Ita qui in loco sacro aut publico alteri colaphum impigerit, si talem jure talionis vicissim pati tantùm jubeatur, non feret pœnam delicto dignam aut parem, confer §. 9. *Institut. de injur.*

§. 5.

Imò fingamus *casum*, ubi harum circumstantiarum locus non sit, ut in crimine, quo alterius corpus læditur. Feriat rusticus rusticum in loco privato. Hic si percussus alteri colaphum repone
nere

7237.
nere debet, quomodo æquilibrium servare accuratè poterit? Quod si id tertio exequendum mandetur, nec is manum eodem modo liberare poterit, quò reus antea colaphum innocenti impingendo fecit. Aut durior aut levior ista retaliatio erit, quod non obscurè Favorinus Philolophus apud *Gellium Lib. XX. c. I.* nos docere potest.

§. 6.

Addo & *periculosam* esse istiusmodi *Talionem*. Nam si is, qui, exempli causâ, vulneravit, sit tenuioris valetudinis & roboris; vulneratus autem vegetæ & robustæ constitutionis; Hic mutilatus est sine ullo vitæ periculo; iste si ex *lege Talionis* mutiletur, periculum mortis incurret. Indè simul noxiam Reip. fore *Talionem* patescit, tum quia ex iniquo non parùm trahit, tum quia civitas cæcis, claudis & mutilis sic plena foret. Confer Dn. D. Osiandri Annotat. ad Hug. Grot. Lib. II. c. XX. §. 10. de J. B. & P. Quare lex *Charondæ* ap. Thuriolos lata, iniustitiæ postulata olim fuit ap. *Diodor. Sicul. l. XII. c. 17.* Erat verò hæc: Si quis oculum alteri excussisset, ut illi oculus vicissim erueretur. Sed accidit, ut quis uno captus oculo, alterum quoque per vim illatam amitteret & sic facultate videndi prorsus orbaretur. Hic etsi auctori facinoræ, unus contra oculus excussus sit, minus tamen pœnæ, quàm par sit, *multum* exsolvisse arbitratur. Qui enim civem excecaverit, etiamsi sat luisse pro lege scriptâ videatur, non pari tamen damno affectum contendit. Æquum igitur esse, ut illi, qui uno præditum oculo, totâ visione privarit, ambo simul oculi effodiantur, si æqualis injuriæ pœna luenda sit. Dolore igitur & indignitate rei percussus ille cæcus, ad populum de calamitate sua verba facere ausus tum miseram conditionem vitæ suæ deplorat; tum ut legem illam corrigant, multitudini svadet. Tandem inserto in funem collo, cum felicem svasionis eventum impetrasset, lex illa abolita fuit, emendatior-que in ejus locum surrogata & ipse strangulationis necem effugit. Idem refertur à Demosthene adversus Timocratem, adde *Pufendorfii de J. N. & G. L. VIII. c. 3. §. 27.*

§. 7.

Hæc etiam de Causâ *Talio Pythagorea* apud gentes non legitur obti-

obtinuisse. Nam lege Atticâ, fur ultra dupli condemnationem per dies aliquot vinctus habebatur, ut *Demosthenes in Timocratem* docet. *Aristides Lenætica secunda*: Τοῖς ἐν δικαστηρίοις ἐπιζητοῦσι τοῖς ἀδικήσοι μείζονα ἢ καὶ ἀπεπόνθασι δέδοται περὶ τῶν νόμων εἰς τιμωρίας λόγον. His, qui iudicio illatas sibi injurias persequuntur, majora leges permittunt pro vindictâ exigere, quàm quæ ipsis acciderant. Ap. Indos, ut *Strabo Lib. XV.* notat, qui quem mutilasset, supra talionem, manu truncabatur. Quod si quis (ait) artificii manum oculumve ademerit, capitale est. Solonis lege, qui alteri unum oculum eruerat, ei ambo erui debebant ap. *Laërtium in Solone*. Quare *H. Grotius Lib. II. de J. B. & P. c. XX. §. 32.* Τὸ ἀντιπεπονθὸς *Pythagoreum* refutaturus, non solum hunc morem gentium illi opponit, verum etiam urget legem *Hebraeam*, quâ furta quintuplo leguntur punita. Sed *D. Osiander* non sine causa hinc *Grotium* in eò censet, quòd legem istam de restitutione quadrupli aut quintupli appellet *Legem legum omnium perfectissimum exemplar*, cum tamen non fuerit moralis, sed forensis, attemperata scilicet ad Remp. Judaicam. vid. *ejus Annot. in c. l.*

§. 8.

Supereft tandem, ut contendatur, *Talionem Pythagoricam* non congruere *justitiæ Distributiivæ*. Facit hæc officium suum vel in distribuendis bonis & præmiis, ad societatem aliquam pertinentibus; vel in imponendis oneribus, quæ hæc aut illa communitas sustinere jubetur. Nititur enim pacto inter societatem & membra initò, circa participandum pro rata damnum & lucrum. Quandocunqve enim aliquis in societatem recipitur, tale pactum expressè aut tacitè initur inter societatem & membrum recipiendum, quod societas quidem velit huic ratam partem tribuere de bonis, quæ societati, ut tali, competunt; membrum verò promittit, quod pro ratâ parte velit ferre onera, quæ ad societatem, quâ talem, servandam faciunt. Determinatio autem ratæ partis de bonis socio assignandis fit secundum æstimationem operæ, aut sumtuum impensorum ad societatem, quâ talem, servandam, spectatorum in præportione ad aliorum ejus societatis membrorum operam, aut sumtus impensos. Ubi con-

B

tra

tra determinatio ratæ partis, de oneribus membro imponendis, fit secundum æstimationem commodorum, quæ illud ex societate percipit, spectatorum in proportione Geometrica ad commoda, ab aliis membris è societate percepta. Indè cum ut plurimum unum membrum plus conferat ad societatem conservandam, quàm alterum, & unum quoque pro altero plus commodi ex eadem hauriat: facile patet ratio, cur pluribus personis, positâque inter easdem inæqualitate, *injustitia distributiva* neque *æqualitas Pythagorica*, neque *Arithmetica*, sed *Geometrica* sive comparata sit adhibenda. Quæ in hoc consistit, ut quomodo se habeat dignitas sive meritum unius, ad dignitatem alterius; sic se quoque præmium unius ad præmium alterius. vide hæc prolixius explicantem *Pufendorfium de J. N. & G. Lib. I. c. VII. § 9. & Aristotel. lib. V. Ethic. c. VI. & VII.*

APHORISM. III.

Jus Talionis simplicis, nec ex Lege divinâ, nec jure Romano probari potest.

§. I.

Obloqui quidem nobis videtur, partim *Lex divina expressa, Exod. XXI. 23. 24.* partim *Lex antiqua XII. Tab.* cujus hæc habentur verba: *Si membrum ruperit meum, è facto Talio esto: Vel ut alii efferunt: Si membrum ruperit, ni cum eò pacit, talio esto.* Super hæc lege Favorinus Philosophus & Sextus Cæcilius Jctus disputant ap. Gellium L. XX. c. I. Favorinus ita inquit: *Præter ulciscendi acerbitatem ne procedere quoque exsecutio justæ talionis potest. Nam cui membrum ab alio ruptum est, si ipsi itidem rumpere per talionem velit: Quæro an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium: in qua re primum ea difficultas est inexplicabilis. Quid si quis membrum, inquit, alteri imprudens ruperit? quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet. Jctus quippe fortuitus & consultus non cadunt sub ejusdem talionis similitudinem. Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exequenda talione non licentiæ jus habet, sed imprudentiæ? Sed & si prudens ruperit, ne-*

quaquam

quaquam patietur aut altius se ledi aut latius. Quod ejusmodi libra atque mensura caveri possit, non reperio. Quia etiam si quid plus erit alterive commissum, res fiet ridicule atrocitatis, ut contraria actio mutuae talionis oriatur & adolescat infinita quaedam reciprocatio talionum. Nam de immanitate illa secandi partiendiq; humani corporis, si unus ob pecuniam debitam iudicatus addictusq; sit pluribus, non libet meminisse & piget dicere &c. Huic Sextus Cæcilius paucis interjectis, graviter respondet hisce verbis: Verum est, mi Favorine, Talionem rarissimam fieri difficillime. Sed Decemviri minuere atque extinguere volentes hujusmodi violentiam pulsandi atque ledendi, eo quoque metu coercendos esse putaverunt: Neque ejus qui membrum alteri rupisset & pacisci tamen de talione redimendâ nollet, tantam esse habendam rationem arbitrati sunt; ut an prudens imprudensve rupisset spectandum putarent: aut talionem in eo vel ad amissimæ equipararent vel in librili perpenderent: Sed potius eundem animum eundemq; impetum in eadem parte corporis rumpendi, non eundem quoque casum exigere voluerunt. Quoniam modus voluntatis præstari posset: Casus ictus non posset. Quod si ita est, ut dico, ut & ipse æquitatis habitus demonstrat, taliones illæ tuæ reciprocae argutiores profecto, quàm veriores fuerint. Sed quoniam acerbum quoque esse hoc genus pænæ putas, quæ, obsecro te, ista acerbior est, si idem fiat in te, quod tute in alio feceris; præsertim cum habeas facultatem paciscendi & non necesse sit pati talionem, nisi eam tu elegeris. Inde elicitur, quod talionem ita strictè servatam, nec Decemviri ap. Romanos voluerint; Sed potuisse lædentem cum læso super injuriâ pacisci, ut Sextus Cæcilius in responsione suæ ad discursum Favorini haut obscure prodit. Tandem talio ista Romæ penitus in desuetudinem abiit. Conf. §. 7. Inst. d. Injur.

§. 2.

Difficilius solutu esse videtur, quod pro strictâ & simplici Taliones ex lege divinâ opponitur. Nam Exod. XXI. 23. 24. hæc legis verba extant: Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. Quibus consonant ferè alia loca ut Lev. c. XXIV. 20. Gen. IX. 6. Sap. XI. 17.

fe
ate
no-
ri-
m,
ca-
ve
tas
fit
tas
ni-
em
bic.

â,

ssa,
hæc
Vel
per
pu-
cen-
Nam
nem
um:
nem-
riam
uitus
nam
lione
ne-
vam

1291.
His & similibus legibus *Pythagoricam Talionem* adstrui nonnulli arbitrantur. Jam olim (*Osiandro teste, in Annot. ad H. Grot.*) *Karræi* (sive *Judæi scripturarii*) & *Rabbanitæ* (qui aliàs *Talmudistæ* dicuntur, super hoc argumento disceptarunt. *Priores* literam legis citatæ urgentes, *simplicem Talionem* volebant adserere; *Posteriores* autem exposuerunt de compensatione damni, per certam æstimationem à iudicibus imponenda lædenti & dandi læso. Hinc *R. Levi Ben Gerson* ex cit. capite *Exod. vers. 26. 27.* argumentatur. *Quemadmodum, ait, circa eadem factam nulla est differentia pœne inter Dominum, servum suum occidentem, & quemvis alium, sed ei quoque mortis pœna denunciatur: Ita æquum esset, ut eadem sit ratio circa damna alia in corpore illata: Atque pro damno illato servo legimus impositam esse mulctam pecuniariam; Nam Dominus à Talionis pœna absolvitur pro oculo eruto, aut dente excusso; Quod si verò Lex Talionis secundum literam intelligenda esset, illi eadem pœna subeunda.* His addo, quod eodem capite vers. 13. homo, qui alterum casu, præter intentionem occiderat, potuerit ad asylum servandæ vitæ causâ confugere: Et qui alterum inter rixas graviter percusserat, is non fuerit obstrictus vicissim pati percussione; quia tenebatur ad impensarum restitutionem & compensationem cessationis & medicamentorum. Proindè arbitror satis liquere, divinâ lege *Talionem Pythagoricam* ἐν ἀποβῆν δι' ἰσων consistentem haudquidquam stabiliri, id quod præter alios confirmat *Josephus, Lib. IV. Antiq. c. 8.* ubi legum Mosaicarum compendium exhibens, hæc recitat verba: *Qui excœcaverit quenquam similia patiatur, privatus, quo privavit alium, nisi is malit pecuniam accipere; Nam ipsi lex promittit arbitrium æstimandi suum, si nolit haberi severior.* Uberius, pro acumine suo, citatam legem explicat *Magnificus Dn. D. Scherzerus noster Colleg. Anti-Socin. Disput. CXXXVI.* adducens in hunc sensum comment. *R. Bechai: Et quæ adeò rigidè (ait) potuit observari talio? quomodo enim vulnus eadem longitudine, latitudine & altitudine potest redhiberi?*

§. 3.

Nimirum lege isthac, anima pro animâ, oculus pro oculo, dens pro dente, quasi proverbiali locutione, requiritur certa & delicto digna ultio ac pœna, quâ iudex habitâ circumstantiarum ratione, pro

1242
pro prudentiâ sua reis infligere debebat. Durius autem pœnæ
genus heic Deus expressit, ut rigore tali, gentem ad vindictam pri-
vatam valdè pronam coërceret. Metus enim patiendi, libidi-
nem agendi coërcet. Vel, ut *Isid. Pelusiota* L. II, ep. 133. ad Timo-
theum Lectorem commentatur: *Illud oculum pro oculo & dentem*
pro dente, Judæis à mansuetissima illa natura idcirco præscriptum ac
lege sancitum esse opinor, non ut iis, à quibus injuriam accepissent, ve-
niam negarent, crudelesq; se præberent, quemadmodum censent Ma-
nichæi, qui vetus Testamentum insectantur: Sed ut eadem, quæ a-
gunt, perpeti metuentes ab injuriâ abstineant. Quod quanquam ju-
stum & rationi consentaneum est, tamen divina tranquillitas ad lenitatē
& bonitatem spectans, hominesq; ad eam acuens, per id quod eum, qui
injuriam intulit, ulcisci sanxit, supplicii metu peccata repressit & coër-
cuit. Paria cum Manichæis hodiè docentes Socinianos, modò
laudatus Dn. Scherzerus noster l.c. confutavit.

APHORISM. IV.

Sed Jus Talionis Proportionatæ, legi divinæ
& naturali convenit.

§. 1.

Supra Aphorism. I. §. 2. distinximus cum *Hahnio ad VVesemb. tit.*
d. 7. & 7. num. 13. inter *Talionem simplicem & proportionatam.* Ni-
mirum illa erat, quæ neglectâ analogiâ & æqualitate, omnia ad
proportionis arithmeticæ amussim redigit. Hæc verò propor-
tionem Geometricam respiciendo, observat æqualitatem ac æsti-
mat primò ex circumstantiis delictum, deinde factâ æstimatione,
pœnam delicto æqualem dicitat, ut ita proportionalis exæqvatio
emergat.

§. 2.

Hoc ex *Jure Natura* docuit *Aristot. loc. cit. L.V. Eth. cap. 6. 7. & 8.*
ostendens Jus esse quiddam, quod in proportione consistat. Pro-
indè dùm lex naturæ poscit, ne delicta maneant impunita, simul
requirit, ut aut simplici ἀμοιβῆν corrigantur aut ἀμοιβῆν proportio-
nali

nali emendentur: Illud est & absurdum & impossibile. Igitur retaliatio proportionalis adhibenda fuerit, quæ rigorem de eisdem speciei compensatione, pro circumstantiarum ratione mitigat. Atque in hunc sensum etiam leges divinas, quæ videntur *Talionem simplicem* sancire, exponendas esse, jam supra fuit demonstratum.

§. 3.

Eqvidem negari nequit, Deum sæpius, quando delicta hominum castigavit, propius accessisse ad *Talionem simplicem*, ac permissum est mortalibus. Nam adæqvavit in pœnis *instrumenta instrumentis; damna damnis; tempora temporibus, & mensuram mensuræ*: Ferè, ut videtur *Pythagorea Talio* sanxisse. Sed, quæ causa hic subesse potuerit, cum ex historiâ fuerint loca prius adducta, mox edisseram.

§. 4.

Primò, Talionis jure, *instrumenta instrumentis* fuisse adæqvata patet ex Sap. XI. 17. ubi asseritur, homines, per quæ peccent, per eadem ipsos puniri, ut, quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, fiant instrumenta Domino punienti. *Augustin. in Ps. VII. Exemplis egregiè id confirmat B. D. Dannhauverus in Hodosoph. Phenom. VIII. Sic ignem (inquit,) alienum igne luerunt filii Aronnis Levit. X. 2. Suffocationem suffocatione, adeoque aquam aquam Ægyptii, Sapient. XVIII. 5. Bestiarum cultum, bestiarum dentibus iisdem cap. XI. 16. comam ducentos ficlos, non pondere, sed pretio (quod impendisse puellas Solymitanas, ut alcitio decore pro suo uterentur, vero est simile,) æqvantem, come suspendio Absolon: Patibulum patibulo aulæ Perficæ Sejanus Esther. VII. 10. ac ut eis τὰ ἔξω digrediamur, manum falsariam aut perfidiam, manus amputatione ap. Diodor. I. 78. Pupugit hoc talionis genus conscientiam Rudolphi, quem cum in prælio contra Heinricum dextram amisisset, decumbenti allatam, exclamasse accepimus è *Nauclero Gener. N. T. 38. Ecce hæc est manus, qua Domino meo Heinrico fidem sacramento firmavi. Secundo Damna damnis* adæqvavit Deus, *Spolia spoliis Esa. XXXIII. 1. viduitatem afflictam viduitate compensavit Exod. XXII. 24. exauktionem exauktionem 2. Maccab.**

1278.

cab. IV. 24. Sanguinem sanguine; sic ille (verba sunt Appiani 2. de bell. Civ.) J. Caesar, qui terrarum orbem sanguine impleverat, tandem ipse sanguine suo curiam implevit. Simile fatum Cyrus, à Tomyri regina victus, olim expertus erat: Nam capite amputato, & in utrem humano sanguine repletum coniecto, hæc exprobratio crudelitatis audita fuit: Satia te sanguine, quem sitiisti cujusq; insatiabilis semper fuisti. Justin. L. I. c. 8. Tertio tempora temporibus, loca locis expiata, dicit Dannhavverus l. c. dies quadraginta, totidem annis Num. XIV. 34. agrum crudelitatis conscium, rubentibus sanguinis notis I. Reg. XXI. 19. Desertum deserto, Gen. XXI. 14. foveam foveâ, Dan. VI. 24, &c. Ideò & famosos latrones in his locis, ubi grassati sunt, furca figi compluribus placuit L. 28. §. pen. ff. d. pœnis. Quarto unversim mensuram mensuræ aptatam ex oraculo Christi Matth. VII. 2. liquet. Legimus enim cædem Uriæ, cæde domesticâ multatam; libidinis furta, solis conspectu 2. Sam. XII. 9. & seqq. Pretium triginta Siclorum totidem siclis: Tanti enim venierunt Judæorum venditi apud Josephum de Bello Judaico, quanti unus ab iis emtus Salvator Matth. XXVI. 15. Confer laudatum Dannhavverum l. c. ubi subjicit exemplum Talionis sine exemplo, quod diagrammate eleganti illustrat: Expressit, inquit, illius rigorem longè luculentius is, qui è coelo in mundum venit, ut repararet immensis laboribus, quæ nobis unico bolo abliguriverat primus homo, qui ut inestimabili pretio salutem mortalium redimeret, seipsum impendit, omnium virtutum & illecebra & theatrum & norma Christus. Quem semel ille nostri vicariatum stipulatus erat, eum sic exsolvit, ut Talionis justitiam ex asse, omnibusq; adeò numeris referret ac absolveret. Exempla plura, quæ Talio divina in regnis & eorum mutatione sese exseruit, collecta prostant in Libello Germanicò, cui Tit. Adoni-Beseck, oder Discurs vom Lege Talionis, Norimbergæ Anno 1632. editò.

§. 5.

Causa cur Deus *strictioris Talionis* jus usurpaverit, sine dubiò extitit admiranda sua justitia, quæ declarare voluit, se esse judicem, cui vindicta sit committenda, Deut. XXXII. 35. & qui illis possit retribuere secundum merita sua, qui aut propter potentiam, aut mali-

mali-

1295.
malitiam, Judicia humana effugerint. Vel ut constaret, se posse exactam *Talionem* observare in pœnis infligendis, quam homines ob affectus vel alia vitia nesciunt servare. Quamquam tutissimum sit, in ejusmodi exemplis, agnoscere ἀνεξέρεινντα τὰ κέρματα αὐτῶν, quæ Apostolus admiratur, Rom. XI. 17. quàm incertam causam allegando cœspitare.

§. 6.

Pergerem ad Usam *Talionis proportionatae* in *Repressaliis*, in pœnis & aliis casibus observandæ, nisi quæ in illis occurrunt controversiæ, intra brevitatæ limites nobis præfixos, haut posse feliciter absolvi, præviderem. Quapropter cœptam hanc juris telam abrumpo, Deoq̄ve soli, justitiæ fonti, gloriam omnem tribuo ac laudem!

Mantissa Miscell.

1. **P**Otest quis obligari ad impossibile.
2. Nemo tenetur ad solvendam alteri mercedem pro turpi facinore patratò promissam, contra Grotium de J. B. & P. l. 2. c. II. §. 9.
3. Naturâ homines sibi sunt æquales.
4. Insignis laus Ducis, quam Cn. Pompejo assignat Cicero pro lege Manil. *Ejus legiones sic in Asium pervenisse, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem pacato cuiquam nocuerit.*
5. Licet contra hostem uti stratagemate.
6. Fœdo artificio reservationes mentales excogitatæ sunt.
7. Christianis observandum est, quod apud Dionys. Halicarnass. l. XI. legitur: *Dii ad honesta & justa non ad turpia & injusta pacta adhiberi amant.*
8. Expediret Reipubl. si efficere posset, ut cives nullis uterentur vestibibus, nisi quæ intra civitatem ex materia ibidem proveniente, sint confectæ.
9. Ad luxum in conviviis compescendum, meretur observari Platonis L. VI. de LL. institutum, qui ad nuptias non nisi decem
ex

ex propinquis requirit, & à ditissimis supra minam non vult impendi.

- 10. Si perpetua aliqua vestium forma à Principe introduceretur, non foret id Reipublicæ aut nationi dedecori. Nemo enim sanus ob habitus constantiam Nationi barbariei notam impinget. Cur una natio arbitrium elegantiarum suo velut jure sibi vindicet? certè ex dignitate alicujus nationis est, alterius non fieri simiam.
- 11. Dari in India homines caudatos, (ut ex veteribus Plinius & Pausanias, ex recentioribus Albertus Herport, M. P. Venetus & Nierembergicus referunt,) fabula est.
- 12. Hugonoti in Gallia non habent nomen ac Hugone Capeto Comite Parisiensi, vid. Thuan. Historiar. l. XXIV. ad ann. 1560.
- 13. Infamia, quæ legum transgressoribus dicitur, interdum plus valet, quàm pœna. Id intellexisse videtur Zaleucus, qui legem sumtuariam sequentem tulit apud Diodor. Sicul. l. XII. c. 21. *Mulier ingenua, nisi fortè ebria sit, non sit una ancilla comitator. Extra urbem noctu pedem non efferto, nisi cum mœchum fortè accedit. Aureum ornatum, & intertextas auro vestes ne circumdato, nisi meretricem agere velit. Vir annulum subaureum, aut vestem Milesie parem non gestato, nisi qui scortatione vel adulterio se contaminat. Proinde fœdis pœnarum exceptionibus, seu probrosis conditionibus pœne annexis, à noxiocives luxu & intemperantia studio facillimè avertit. Nemo enim tam turpis probri confessione se ludibrio civium exponi sustinebat.*
- 14. Cur Hispania inopia hominum laboret, causa potissima est crudelis inquisitio in eos, qui etiam in rebus leviculis à Religione Pontificia dissentiunt. vid. Thuan. Hist. l. III. ad ann. 1547.
- 15. Gallos plus impetu & pugnando, quàm Hispanos consilio & cunctando valere, docet experientia.
- 16. Eorum, qui rationis usu destituuntur, actiones non imputantur.
- 17. Cui occasio agendi citra suam culpam deest, illi non imputatur à prudentibus, quòd non egerit. Ergò talentum suum defodisse argui nequit, cui ritè ambienti statio fuit denegata.

C AUGU-



41297.
AUGUSTUS hic SIGELIUS
De TALIONE talia
(Sine dubio) mox proferet,
Quæ publicis Præconiis
Aut Gratulationibus,
Gratâ velut Coronide,
Boni queant distingvere.

ita credebat & scribebat

Fridr. Geißler / Silesius Phil.
& J. U. D. ac Prof. Publ. Maj. Prin.
Coll. Collegiatus & p. t. Præpo-
fitus.

Digna Tuæ curæ SIGELI res *Talio* visa est:
Talio mox veniet Gloria larga Tibi.

gratulab. facieb.

L. Johannes Olearius, P.P.
Fac. Phil. h. t. Decanus.

Ad

Politissim. Dn. Respondent.
Auditorem S. Dilect.

L'Audo conatum, SIGELI: Fortiter insta,
Et quondam studiis præmia digna feres.

animô gratulab. festinab.

L. Otto Menckenius, P.P.

Ad

1298
Ad

Præ-Eximium Dn. Respondentem.

JUS Rhadamantæum Nemesei nec displicet
ipfi;

Conveniunt noxistormina sæpè suis.
Talia dum validâ propugnâs voce, quid o-
ptem?

Convenient meritis præmia digna tuis.

prop.

L. Joachimus Fellerus, P.P.

GLORIA te sequitur, ceu talio justa, Sigeli,
Dum tibi tractatur talio; justa capis.

deproper.

L. Gottofredus Schilter.

Ad

Honoratissimum

S. Dn. RESPONDENTEM

Optimi Parentis Filium:

Amicum charissimum:

CENSURÆ submissa fuit jam Talio nostra,
SIGELI: ast aliam fortè subire potest.

Ad

1249
174
3810
Si bonus est censor, credo, juvenilibus ausis
Non scribet rigidâ fronte manuq; dicam.
Si malus est; valeat ridendus Lælius. *Ignis*
Lambens, ut lambat, non tamen iste nocet.

f.

Disputat. Præses.

Ad Dominum Respondentem.

HÆc ornant verè, laudemq;ve decusq;ve
merentur:

Hâc homo sublimis fertur ad astra viâ.
Maçte igitur virtute Tuâ! sic ampla manebunt
Præmia; sic fiet TALIO pulchra Tibi

Sic conjunctim gratulabantur

Franckensteiniani Commensales.

F I N I S.



1077

110.

1231



1231

us
pa
Q
co
tri
m
re
ex

t
Q
t

J
p
a
p

